

QUÆSTIO IX.

Quare qui sedebat in throno, habebat similitudinem lapidis jaspidis & sardini?

17. Status quaestio.

58. Aurcol.

Ecclesia Romana firma & stabilis.

Psal. 106.

59. Lyran.

Consolatio. & inflammario à Deo.

60. Joachim.

61. Alcazar.

Apoc. 21.

Sedens Pater Æternus.

AN in hac visione Deus sedens in throno haberet hominis similitudinem, hoc non explicat Ioannes, tum quia hoc non pertinet ad præfens mysterium, tum etiam quia nihil humanum hic significandum erat: solum autem, quod referebat similitudinem duarum gemmarum, scilicet jaspidis, & sardini; & hoc ex magno mysterio, nam quidam hoc referunt ad Ecclesiam, alii ad totam Trinitatem, alii ad Deum Patrem; tandem multi ad divina attributa, ut videbitur.

Primo, Aureolus ait, quod sedes hæc est cathedra Ecclesie Romanæ, quæ est caput Ecclesie militantis: In hac est jaspis virens, putat, misericordia, potestas scilicet solvendi peccata; & est sardius rubens, id est potestas ea retinendi, & puniendi. Sedes enim Dei est sedes Ecclesie, & Vicarii ejus scilicet Summi Pontificis. Unde de ea canit Psaltes Psal. 106. n. 32. Et in cathedra seniorum laudent eum. Quæ per accommodationem bene sunt dicta.

Secundo, Lyranus vult hunc Deum apparere non iudicem, sed provisorum Ecclesie suæ militantis, viridi jaspide significari ejus consolationem in adversis, qua suos recreat, tubo vero sardio ejus inflammationem, quæ nos incendit ad ipsius obsequium.

Tertio, Joachim abbas, per sedentem in sede intelligit Deum trinum, & unum. Tunc ait, recte in jaspide persona Patris exprimitur, quæ vita omnis principium est: in sardio autem, qui colorem refert sanguineum, Filius indicatur, qui per assumptionem humanitatem in passione rubicundus apparuit. Denique smaragdus, qui viriditate præcellit, Spiritum Sanctum designat, qui per gratiarum suarum dona corda hominum excitat. Huic tamen interpretationi refragatur partitionis tertium caput. Nam smaragdus non dicitur similis, qui sedebat in sede, sed collocatur in Iride, de qua postea: ergo non pertinet ad sedentem.

Quarto, Alcazar deum Patrem intelligit, quem per sedentem in sede interpretatur & in duodecim gemmis fundantibus cælestem Jerusalem Apocalyp. 21. n. 19. & 20 intelligit duodecim fidei articulos. Et appositè in jaspide primo ex fundamentis intelligit deum creatorem, in sardio vero sexto, fundamento, sextum articulum, qui est de Resurrectione, ac proinde eundem signari vult Patrem, cui attribuitur potentia & mortuorum resurrectio. Est enim hæc quasi non creatio, utque præcedit creatio, & supponitur resurrectioni. Ita hic jaspis supponitur sardio. Hæc fusæ, & cum suo ingenio tractat Alcazar, illud etiam notans sardium patrem esse, & originem amethysti, cum aliquando reperiantur gemmæ, una parte sardius, altera amethystus: Amethystus autem, qui vini colorem refert solum est deliciarum cælestium, quæ maxime lætificat cor, ac præ gau-

dio illud inebriant, juxta illud Psal. 35. n. 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tue, & torrente voluptatis tue potabis eos. Quæ sardio ex Abulensi ad cap. 28. Exod. ac aliis conveniunt, ipse dicitur accendi, & declarari gaudia, quod bene resurrectioni quadrat.

Quinto, D. Ambrosius, & Ansbertus Abbas pro sedente in sede intelligunt Christum Dominum in jaspide semper virente dicunt significari ejus Divinitatem, in cuius fruitione consistit vitor gloriæ immarecessibilis; in sardo ejus humanitatem, quæ sanguine rubuit in Passione Ioannes in hoc loco, ut jam dixi, & voluit Alcazar Cornelius M. Ioannes de la Haye alludit ad Ezechielem 8. n. 8. Ubi de sedente in throno sic ait; Ab aspectu lumborum ejus, & deorsum ignis, & à lumbis ejus, & sursum visio electri. Et ut ibi advertit Theodoretus in igne, & electro notatur duplex Christi natura Divina, & humana, Ignis dicit naturam Divinam Dominus Deus tuus ignis consumens est Deuteronom. 4. n. 24. Electrum vero cum sit compositum ex quatuor elementis naturam humanam ex talibus constat dicit, & sicut electrum splendens est, sic & humanitas, ait Theodoretus, Verbi Dei hilaris, & splendens, & gloriosus, immortalis que, & à corruptione libera ab inhabitante divina natura facta est. Tamen merito dubitabis quomodo ignis, qui denotabat naturam divinam erat in parte inferiori à lumbis deorsum, electrum vero humanitatem in parte superiori à lumbis sursum, tanquam si de ipsa humanitate in signiter gloriaretur, ac eam ostentare vellet, in qua mortem, & Passionem pro nobis sustinuit, in ipsaque Divinitate humanitas nitebatur, ut tam mirifice, ac gloriose niteret, ac resplenderet.

Sexto, Primasius, Beda, Rupertus, & Haræus inquirunt quod qui sedebat, personam iudicis gerebat, vindictam exercentis in peccatores, & idè similis apparebat jaspidi, & sardino, nam jaspidis 17. sunt species, ut tradunt D. Isidorus Hispalensis, & Bartholomæus Anglus, libro de proprietatibus rerum, tractatu 16. cap. 53. Inter quas est jaspis aquei coloris, & sanè aquæ tendunt etiam ad viriditatem fuscam, sardus autem ignei coloris est: Hinc iudex sedens lapidibus talium colorum assimilatur, quia Deus primo punivit peccatores per aquarum diluvium submergendo, & in fine mundi puniet per ignis conflagrationem. Rupertus Abbas: Quia videlicet ait, Deus iudicis Dominus, & olim mundum per aquam iudicabit, idemque tandem per ignem iudicabit. Proinde coloribus illis videlicet aquatico, & igneo dicitur esse similis, quia iudicium & ex iudicio quod factum est per aquam, & ex iudicio quod faciendum est per ignem Deus qui nobis in sua substantia est invisibilis, cognoscitur quæ in fortis zelotes sit.

Septimo, Richardus etiam Deum iudicem in his lapidibus considerat. Per jaspidem semper virentem ait significari sanctorum gloriam in cælo; per sardum ardentem (est enim ignei coloris) denotari incendium, & combustionem malorum in gehenna, & ita hic denotatur præmium, & pœna, quam Deus iudex juxta unicuique facta infert.

Octavo, Viegas, Perer, & alii, deus omnium gubernator apparet similitudine jaspidis, & sardini; jaspide virente significatur divina misericordia, sardo rubente divina iustitia, in nostrum

Psal. 35.

Abulensis.

62. Ambrosius. Ansbertus.

Alcazar. Cornelius. La Haye. Ezech. 8.

Theodor.

Deuter. 4.

Christus. multum gloriatur de humanitate in qua mortem sustinuit.

63. Primasius. Beda. Rupertus. Haræus. D. Isidorus. Anglus.

Deus iudex puniens peccatores

64. Richardus.

Deus iudex juxta facta dat præmium & pœnam.

65. Viegas. Pererius.

Misericordia & iustitia gubernanda Republice. Psal. 56. D. Nyssen. Quæ verba sic expendit D. Greg. Nyssen. tr. 2. in Psal. Misericordia, & veritas, pulchra conjunctio, neque enim sine iudicio misericordia est, neque veritas sine misericordia, hæc inique sub studio liberabor. per veritatem intelligit iustitiam, quia ubi iustitia, ibi veritas, & ubi iustitia ac misericordia securus est iustus, & liberatur.

Nonò Andreas Aretas, Ribeira, Cornelius inquirunt jaspis quia firmissima est gemma viridis, & sæpè pellucens teste Plinio lib. 37. cap. 8. significat splendorem & pulchritudinem Divinitatis semper virentis, & florentis: Sardus, quia linguei, & ignei coloris est; & ut ait Aretas, feris terrorem incutit, significat primò igneam, id est, subtilissimam, & efficacissimam Dei naturam, secundum eisdem iustitiam, & terrorem, & vindictam in impiis Antichristi præcursores, & asseclas. Hæc enim in Apocalypsi præsignantur, & prædicantur; unde optimè ejus speciem hinc ostentat Deus, ac iudicis habitum assumit. Sicut enim assumere speciem, & habitum similem materiæ; & rei, de qua agitur.

Decimo, & valde appositè, ut ait Ferrarius, his duabus gemmis jaspide & sardo apparet Deus exornatus, quia jaspis, ut dicunt Beda, Primasius, Rupertus, Haræus, D. Isidorus, Hispalen. & Barth. Anglus supra relati hæc quæstionum. 63. coloris est aquei, & denotat profundissimam, & abditissimam abyssum Divinitatis: ex quo tot secreta tam abdita, & recondita mox proferenda sunt in libro quem Agnus aperiet; sardo vero ad indicandum tum bonorum, qui iniquitates devicerint, quæ in dicto libro scripta sunt, gaudia; tum etiam peccatorum supplicia, qui mala sua adversus Bonos pertraverint; hæc enim omnia denotantur in sardo, nam cum rubi coloris sit, denotat iustorum gaudia, ut hic dixi ex Abulensi, & iniquorum supplicia: & sicut Deus sua sapientia in eodem libro tam diversa scripsit, sic & eorum lapide tam diversa significavit.

Deinde his duobus lapidibus jaspide, & sardo, quæ denotant aquam, & ignem, se manifestat Deus, hæc enim præparat suis amicis, ut statim ostendet in suo libro aperiendo, par has enim tribulationes iusti dicuntur in gloriam ita ut dicere possint: transivimus per ignem, a nam, & eduxisti nos in refrigerium. Psal. 65. n. 12. In tanto pretio, ac estimatione suorum iustorum labores sunt Deo ut symbolis, ac lapidibus tales pressuras denotantibus se se in suo magnifico throno exornatū ac compositū manifestat, veluti regali ac pretiosissima purpura.

Tandem cum deus apparet in throno, ostentat colorem jaspidis, & sardini. Jaspis colorem refert aquæ, ut modo dixi ex Ruperto, Beda, & aliis: Sardus vero ignis colorem habet. Ad quid similitudines rerum tam diversarum conjunguntur in sedente in throno? ad magnum documentum Prælatorum, ut sciant Deum imitari, ita ut conjungant lenitatem aquæ cum rigida flamma ignis; & cum aspero rigore ignis suavem blanditiem aquæ.

Divina lege ordinatum est, quod quando Aaron summus populi Sacerdos, filique ejus

consecrarentur, ut simul sanguine agni abluti, ac oleo sancto ungerentur, Cùmque suleris de sanguine qui est super altare, & de oleo unctio-nis, asperges Aaron & vestes ejus, filios & vestimenta eorum. Exod. 29. n. 21. Ad quid talis commistio sanguinis, & olei, quid habet oleum cum sanguine & sanguis cum oleo? Oleum misericordie hieroglyphicum, sanguis vero rigoris signum. Ungatur ergo Summus Pontifex, ac Prælati oleo, & sanguine, in eoque sit permixta lenitas misericordie cum rigore iustitie, & severitas iustitie cum suavitate misericordie. Oleaster ibidem, Unguntur, ait, oleo scilicet & sanguine, ut scient olei misericordiam cum rigore sanguinis temperare.

De Salomone loquens Regius Vates, & ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus. Psal. 88. num. 26. ait quod una manus ejus erit in mari, altera vero in fluminibus; & quid hæc faciunt ad bonum Regem ac Principem, sic habeat manus divinas, ac occupatas inter maria, & flumina? Aqua maris salta, fluminis vero dulcis, & suavis. Ut ergo Salomon optimus sit Princeps felicitate gubernet, habeat unam manum in aqua salta maris, & alteram in dulci fluminum, ut simul miscet asperum cum suavi pro tempore, & modo pro-ur oportet, Huc advoco id quod dixit D. Bernardus Epistola 24. ad Hugonem. Hæbeat charitas zelum, sed adhibeat pro tempore modum severitas: Censura quidem nunquam remissa; intermissa tamen plerumque plus proficit; Rigor iustitie semper fervidus, sed nunquam præceps. habeat potiores partes. Et nota quod ait, Ponam in mari manum ejus, scilicet sinistram, & in fluminibus dexteram ejus. Ita sit permixta misericordia cum iustitia, ut misericordia habeat potiores partes.

Inter cetera Templi ornamenta, Leones ac boves ex Salomonis jussu sculpti erant 3. Reg. 7. num. 29. Uti ita esset permixta ferocitas leonis cum mansuetudine bovis. Beda ibidem: Sanctorum mentes habent cum leonibus boves: quando invectionem correctionis cum spiritu mansuetudinis exhibent. Qui etiam ibidem notat additos fuisse à Salomone leonibus, ac bobus chernibinos; ait textus: Leones, & boves, & cherubini, qui scientiæ multitudine interpretantur, ad denotandum quod ut iustitia ac misericordia alterius vicibus utatur, multa scientia ac discretione opus est, ut prudenter hæc vel illa ut oportet res disponatur.

QUÆSTIO X.

Quid significet Iris in circuitu throni cum visione, seu similitudine smaragdina?

Primo Beda existimat Iride significari sanctos, qui in precibus suis circumdant, & protegent Ecclesiam, sicut Iris circumdat, & protegit nostrum hemispherium. Et bene similes smaragdo dicuntur, Sancti enim, sive beati, quo magis viriditate gloriæ fruuntur; sive sancti in via, quod magis

Exod. 29.

In Prælato sit permixta misericordia cum iustitia.

Psal. 88.

Optimus Princeps utatur misericordia & iustitia.

D. Bernardus.

72. 3. Reg. 7.

Beda.

Multa scientia, ac prudentia necessaria ut hæc & illa usentur.

Beda.

Sancti suis orationibus sustentant orbem.

fructu

74. Andreas.

Virtus Spiritus Sancti adumbratur. Joachim.

75. Richard. Dicitur in his.

76. Ansbertus.

Isaia 19. Incarnatio d. vini Verbi.

1. Cor. 15.

Incarnatio Christi reconciliatio mundi. Haymo.

77. Alcazar.

futura gloria pulchritudinem expectabant, eodem magis ad ceteros protegendos animantur.

Secundo, Andreas Cæsariensis, Iride varia, & florida ait representari cœlestium virtutum ordinem, ornamenta, præcipue quia ait Pœserius, triplicem virtutem purgandi, & illuminandi, & perficiendi triplici Iridis colore denotari. Tertio, Joachimus, Iride vult significari Spiritum Sanctum, qui sua triplici gratia denotata triplici Iridis colore, cœruleo, viridi, & rubicundo dat vim credendi, bene operandi, & amandi.

Quarto, Richardus existimat hac Iride significari iudicium universale, habet enim speciem arcus, qui belli signum est, & in circuitu sedis; quia tam à dextris, quam à sinistris universos complectitur sententia iudicis: & est similis smaragdo, quæ partim vires, partim rubet; quia boni per illud deducuntur ad pacem, semper virtutis gloria: mali vero ignibus addicuntur inextinguibilibus; & ideo Christus iudex pingitur insidens in Iride: sedebit enim in nube gloriosa, qualis est Iris.

Quinto, Ansbertus per Iridem denotari contendit Incarnationem divini Verbi, sed quomodo? Iris facile dissolvitur. Verbum, quod semel assumptum nunquam dimittit; tamen si Iridis proprietates recte contemplantur, poteris dicere per eam Incarnationem adumbrari; Iris namque tunc apparet, cum radii Solis imbrifera fuerit nubes illustrata. Sole igitur nubem illustrante, Iris apparuit, quando videlicet Patris Verbum, quod candor est lucis æternæ, ac Sol justitiæ humanam suscipiendo naturam irradiavit, quæ humanitas ab Isaia 19. num. 1. nubes vocatur. Iris tanquam arcus duo habet cornua; Christus duas naturas divinam, & humanam, quas ligat, & unit in unum hypostatica unio, sicut in una chorda duo cornua arcus. In Iride triplex est color, cœruleus, viridis, & rubicundus Christus cœruleus est, id est, homo est cœlestis, dicente Paulo 1. Corinthiorum 15. num. 47. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Talis quoque fuit assidue orationis; & vitens omnium virtutum, & gratiarum vitore & fuit rubicundus per amorem & sanguinem. Imbrifera est, Iris est Christus omnem effudit cœlestis gratiæ, & doctrinæ abundantiam. Iris fuit pacis symbolum tempore Noë, Incarnatio Christi reconciliatio mundi: & ideo nato Christo Angeli cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis, Luc. 1. Haymo. Arcus, ait, in die pluvie apparet, & est reconciliations signum. Quid per eum possimus intelligere, nisi Dominum Jesum Christum? Est autem arcus signum propitiatis, quæ videlicet in Christo omnis nostra salus, & pro nostra consistit.

Sexto, Alcazar tenet, quod licet Iris multiplex sit coloris, tamen quod ista unius tantum erat, cum dicitur similis smaragdina; smaragdus tam hie, quam capite 21. significat Christi Passionem, quæ iugiter Dei oculis observatur, magisque qua Iris N. e reconciliacionem cum Deo dicit, unquam peccatum, ac clementem in Ecclesia claudit, & denotat. Nam Christus in cruce distensus fuit quasi arcus cœlestis: quod novum testam., & testamentum inter Deum, & hominem sancitum est.

Arcus autem iste dicitur totus viridis similis smaragdina, quia color viridis intensior cælestis erat. Passio enim Christi est totum spei nostræ objectum & misericordiæ, ac benignitatis divinæ promissio, & est in circuitu throni; quia ex Passione Christi corona gloriæ circumdatur Dei thronus, quod non solum ad Dei filium, sed etiam ad ipsam Patrem pertinere bene noscitur. N. D. Cyrillus libro 10. in Joannem, capite 19 ad illa Domini verba Joan. 15. numero 8. In hoc clarificatus est Pater meus, in fructum plurimum offerens. Sic ait Sanctus Doctor, Clarificatum Patrem suum esse dicit, quoniam ineffabilis ejus bonitas, a qua misericordia nota omnibus, coronam quasi coronam illi auulit. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Quod Regius Vates antea dixerat Psalm. 64. num. 12. cum de coronâ ejus dixit. Psalm. 64: Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Sed quis hic benignitatis annus? Explicat Divus Ambrosius de instit. virg. cap. 15. Quis est annus Dominicæ benignitatis. Et post multa subdit. Quando pro nobis consumeliarum indigna toleravit, crucem ascendit mortuus pro nobis. Ecce annus Dominicæ benignitatis, ac coronæ, quando suis operibus, ac consiliis coronam imposuit morte ac Passione suavitie Dei thronus post mortem ejus Iride in modum coronæ circumornatus apparuit.

Septimo, Ribeira, Vigas, Pererius, Cornelius, & alii existimant in hac Iride germande & proprie donotari Dei misericordiam, quæ undique thronum Dei circumdat, & depluit nobis omnes gratias, recreat nos suis coloribus, suo cœruleo nostram fovet fidem, viridi spem, rubicundo charitatem. Semicirculus est, qui tantum apparet in nostro hemispherio, quia ejus misericordia expectanda non est in alia, si in hac vita respiciatur. Addit Ribeira, quod in hac Iride multiplex colorum iuxta illud poëtae, Mille trahit varios adverso sole colores: potest considerari universitas creaturarum, in quibus eminet, & resplendet jucundissima quedam, & admirabilis varietas perfectionum Dei, maximumque bonitatis ejus, & misericordiæ argumentum.

Octavo, ac genuine dico, quod cum Iris ex institutione divina sit signum reconciliationis, ac pacis, ut patet ex tempore Noë, ita hic est signum reconciliationis factæ per Christum, & apud, ac apposite hie apparet thronus Dei circumdatus hac Iride quando apertendus erat liber in quo multa molesta, ac acerbissima justis continebantur: ne ergo quis existimaret illa provenire à Deo averfo, atque irato, sed à Deo maxime pacato, suæque Ecclesie propitio ad magna iustorum coronam, & augmentum, voluit hanc suum thronum non manifestari, sine aperto signo suæ reconciliationis: & sceleris sempiterni, & hac de causa alta sapientia ordinavit in hac Iride maxime resplendere smaragdum, sive viridem colorem, quod est signum bonæ spei, per hoc suis manifestans, quod propter labores, & ærummas justis non debeant diffidere, sed potius ex eis certam spem concipere de Dei adiutorio, magis que premio, ac ejus ingenti consolatione.

Cum absente Davide hostes Amalecitarum civitatem Sicleg igne incendissent, eamque ab omni sua substantia depopulassent, simulque omnium

Ex Christi Passione thronus ejus tanquam corona ornatur.

D. Cyrillus Joan. 15.

Joan. 3.

D. Ambrosius

78. Ribeira, Vigas, Pererius, Corn.

Dei misericordia in Iride significata.

79. Gemina ratio.

Ex laboribus immisit magnum conspectum, sed ad felicitatem.

80.

1. Reg. 30.

Lyran. Arumnis non cadit justis animus sed se reboratur.

81.

Job 2. D. Chryf.

Labor ac avaritia pignus, ac spes æternæ felicitatis.

omnium uxores secum captivas duxissent, veniens David in civitatem contristatus est valde, volebat cum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis, & filiabus: confortatus est autem David in Domino Deo suo. 1. Reg. 30. n. 6. Quomodo David inter civitatis eversionem, bonorumque omnium rapinas, captivitatem uxorum, & penè suorum rebellionem, cum vellent eum lapidare, ex quo magnam conceperat tristitiam, tamen asseritur in text. confortatus est autem David in Domino Deo suo? Labores ac ærummæ præsentis aptissimæ erant, ut confringerent robustissimum cor, qui fieri potuit, ut David ex illis non dejectionem, sed majus eliceret fiducia robur: planè confortabatur non in alio, quam in Deo suo, ut notat Lyranus, ex cuius directione, ac benignitate certam conceperat spem, quod adversa illa commutarentur in prospera, & tristitia illa in læta, ac per jucunda. Hinc sapiens David ut erat in adversis jam non poterat ex Deo expectare accidentia felicia, & prospera.

Ab infausis nuntiis accepit Iob omnium bonorum suorum jacturam, ac simul charissimorum pignorum mortem, tunc generosa, ac pia mente clamavit: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est sit nomen Domini benedictum. Iob. 1. n. 21. Ad quæ verba multum miratur D. Chrysolomus in catena Græca. Est, ait, illud admiratione perquam dignum, quod tunc Deo gratias agit, ne quidquam de mentis constantia remittat, cum se à D. o spero tanta calamitate gratias Deo exsolvat, quod pro tanta calamitate gratias Deo exsolvat, quid aliud ipse faceret, si multa bona tunc reciperet? Armenta, greges, ac omnia bona pereunt, & depopulantur, filii repentina morte occumbunt, & ipse omnibus denudatus est in sterquilinio, & tanquam maxime gratulabundus Deum laudat, ac benedicit. Gratias communiter dantur, ac persolvuntur pro datis beneficiis, non vero pro ærumnis ac laboribus: quare ergo Iob pro his tam gratis se habet? Bene sciebat vir justus præsentis calamitates, ac tribulationes magna pignora esse magnorum Dei beneficiorum, ex eisque æternæ felicitatis spem certam concipiebat; ergo bene Iob pro laboribus tanquam pro magnis beneficiis gratias Deo agit, cum ex eis parata esset via ad suprema, & alia dona.

QUESTIO XI.

De Iris in circuitu throni B. Virginis Mariam depingit.

82. Maria Dei thronus.

Eccles. 24. Eccles. 43.

D. Bonav.

Sacratissima Virgo Maria potest intelligi sub præfente Iride in circuitu sedis Divinæ, dum Verbum Divinum portat in utero suo, dumque ipsa in circuitu Ecclesie eam protegit, ac tuerit juxta illud Ecclesiast. 24. numero 8. Gyrum cœli circuitu sola. Et ibidem 43. numero 12. Vide arcum, & benedic Deum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo, gravavit cœlum in circuitu gloriæ suæ. Huc advoco Divi Bonaventuræ carmen opuscul. de figuris Beatæ Virginis Mariæ,

Est in arcu cœruleus Color, qui virginitatis Typum gerit: & rubens Etiam qui charitatis Formam notat: puritatis Tua demonstrat aquens Notam, & humilitatis, Quam elegit in te Deus.

Nota acumen D. Bonavent. quod virginitati ac puritati Mariæ, tribuit colorem cæruleum, & aquenm, qui idem est ut notat Virgilius Æneid. 12. & Cicero 1. de Natura Deorum. Aqua autem inter omnia elementa est fecundissima, ut tradunt Artemidorus lib. 2. Oneiroc. c. 43. Claudian. Claudian. 3. Stil. Cœlestis puritas ac virginitas Mariæ fecunda extitit super omnia creata, ut simul pareret Deum, & hominem, cum in tanto apice, ac celsitudine esset, in ea fuit nota, ac signum summæ humilitatis ut ipsa canit. Resp. xit humilitatem ancilla sua.

Et aptissima è sacratissima Virgo velut Iris dicitur, & cum ea assimilatur: nam sicut radius solaris subintrans nubem concavam, vel imbriferam, sine nubis læsione facit Iridem; sic filius Æterni Patris sol justitiæ, Virginis utrumque virtutis Spiritus Sancti subintrans, & in ea carnem assumens, sine ejus læsione factus est homo, deus manens. Deinde species Iridis est specularis natura, circularis figura, multiformis coloris pictura: sic sanctissima Virgo fuit purissima quantum ad naturæ conditionem, perfectissima quantum ad virtutum omnium congregationem; Arcus enim cœlestis multiplex irradiat varios colores: ut canit Poëta. Trahit enim colorem de cœlo igneum seu rubeum, de aere hyacinthum, de aqua cæruleum, de terra viridem, seu gramineum. Sic in Beata Virgine fuit ardor charitatis, decor castitatis, dulcor seu suavitas pietatis, vigorque severitatis, ac integritatis omniumque perfectionum.

Deinde sicut Iris est signum reconciliationis divinæ, ut patet in tempore Noë, sic etiam per Virginem mundus deo reconciliatus est, ut in presenti notat divus Bernard. Senensis. Frustrata Iridis, ait, est recordatio divini fœderis, ne divino iudicio disperdatur terra, & omnis anima vivens in ea; sic per virginem gloriosam offensa eis remittitur, fœdus stringitur, & ideo merito sicut Iris virgo scilicet benedicta in circuitu Ecclesie constituitur. Sanctus Bernardus sequitur Cardin. Ioannes Vitalis in speculo morali sacra Scripturæ, titulo Maria, sic ait. Iris in circuitu sedis est Maria, quæ astat in circuitu sedis similis visioni smaragdina; in quo ostenditur consolatio tribulationis: smaragdus enim delectat visum. Sic blanda si peccatoribus consolatio Virginis, quæ mitigat Dei iudicium, & sententiam contra peccatores. Iris in circuitu est sacratissima Virgo Maria tanquam ostendens reconciliacionem totius generis humani cum deo, & dicitur similis smaragdina, quæ recreat, & delectat visum, sic sacratissima Virgo sua suavi intercessione dei iram mitigat, & omnes recreat, ac delectat.

De B. Virgine testatur Joannes 19. num. 25. Stabat iuxta crucem Iesu mater ejus. Stabat ergo sola Maria, quia sola non patiebatur animi deliquium

Virginis Maria fœcunda.

Artemidor. Claudian. 3. Stil.

Artemidor. Claudian. 3. Stil.

Iris typus B. Virginis Maria.

84. Sanctissima Virgo recon-

D. Bernard. Card. Vital.

Virgo Maria sua intercessione nos recreat.

85. Ios. 12.